



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.
Theologia Universa**

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

Cap. II. Controversiæ generales Recentiorum, de opinionum Probabilitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38477

CAPUT II.

CONTROVERSIÆ GENERALIS RECENTIORUM, DE PROBABILITYTE OPINIONUM.

§. I.

Exponitur status controversiæ, & communis Auctoritatis pro recto ac licito usu Probabilitatis.

Controversia de licito usu opinionis probabilis, creberrimè etiam probabiliori (quam supra definitivimus & explicuimus) vix ante hæc tempora mota, aut nota fuit: de illo usu passim antiqui dubitationem aut disputationem non instituerunt. Placuit tamen quibusdam, doctrinam illam, tanquam aliquibus Scholis modernis præ aliis propriam, multis modis insectari. Inter primos Scriptores Societatis nostræ extitit *Gabriel Vafquez*, hic tamen disertè notat 1. 2. disp. 62. cap. 4. n. 14. doctrinam illam in Scholis longè antè sua tempora communem fuisse. Ante illum idem notavit *Michael Saloni* Tom. 1. de iust. q. 63. ar. 2. cont. 2. conclus. 4. asserens, Multos ac gravissimos Doctores ita sentire, ac maxime ex discipulis S. Thomæ. Et verò ante Societatem pridem eam doctrinam tradidisse reperitur ex Schola Thomistica *Barthol. Medina* 1. 2. q. 19. art. 6. concl. 3. Lud. Lopez p. 1. Instruct. c. 120. concl. 3. agens de Confessario absolute juxta pœnitentis opinionem minus probabilem. Fran. Victoria in summa de Confess. num. 177. Thomæ Mercado de Contradict. l. 2. c. 5. Dom. Sotus in 4. d. 18. q. 2. a. 5. ad 5. ubi resolvit, Confessarium licitè procedere cum omissione opinionis probabilioris & magis tutæ. Barthol. de Ledesma in Summario de pœnit. diff. 14. concl. 5. Cui forte inter antiquiores accenseri possit Petrus Ledesma in Summa p. 2. tract. 8. cap. 22. ubi ante concl. 12. asserit etiam hanc sententiam tenere Medinam, & Orellanam, & multos alios Doctores, ac præcipuè discipulos S. Thomæ.

His consentiunt passim hodie ex eadem Schola viri eruditione eximii, & nobis notissimi. Nec non ex Schola amplissima Doctoris Subtilis Scriptores celeberrimi, quibus non leve pondus recentius adjecit auctoritas gravissima Reverendissimi P. Herinx, uti & P. Van Siehem in Belgio Provincialis, qui in Thesibus celeberrimis Lovanii defensis 10. Septembris anno 1669. hanc de probabilitate doctrinam plurimum testimonio solidè confirmat, & postremò thesi 33. adducit *Alexandrum Alensem* qui in sua summa Theologica sæpè sententiam probabilem, etiam minus tutam sequitur, ac proponit. Illam autem Summam jussu *Alexandri IV.* Facultas Parisiensis examinavit, & appensis septuaginta duorum Magistrorum sigillis approbavit. Ipsæque *Alexander IV.* Pontificis diplomate confirmavit. Quomodo confirmavit securè, si sententiam probabilem & minus tutam nunquam securè sequamur?

Ut verò rem hanc ex aliorum testimonio, ac disertis verbis summatim perstringam: *Barthol. de Ledesma* de Sacram. Pœnit. d. 14. conclus. 5. pronunciat hanc doctrinam esse verissimam, & probari ex usu universi.

R. P. Arsdck. Tom. II.

sali omnium. Stephanus Spinola opuscul. de libera & prudenti electione agibilibus, in præfatione asserit esse, *Recentiorum omnium calculo, & universali panè populorum usu confirmatam.* Hier. Garcias in Summa tract. 1. diff. 5. dub. 2. n. 5. docet, tam communem & securam esse istam conclusionem, ut solus Machado pro se alleget 45. recentes Auctores. Nec pauciores profert *Paqualigus Theatinus* decisione 5. judicans: Hanc sententiam esse certissimam, & in materia morali posse demonstrari. Neque hæc unius Gentis, aut Scholæ vox est: Cum pluribus ex *Gallia Yfambertus*, ex *Hispania Montelimus*, ex *Italia Bonacina*, uno ore pronunciant, hanc esse Communem Theologorum Sententiam. Adeo ut *Angelus Bossius* Clericus Regularis Tom. moral. variot. ad tit. 1. in appendice, non dubitet affirmare: *Apud quoscumque doctos & si, mul probos in toto orbe Christiano nihil magis decantatum, quam licitum esse in operando sequi, quameunque opinionem probabilem, dummodo sit probabilis, etiam minus tutam, ubi non agitur de valore facti, vel de damno insequendo, &c. sed de sola honestate operationis.*

Denique ut summatim procedam, pro hac sententia, quam ex *Bossio* jam expressi, adducere possim cum nostro *De Champs* in lib. de questione Pacti, extra Scriptores Societatis, *Episcopos* decem, Doctores *Sorbonicos* quatuor, nec plures ex illis nostro seculo de hac questione scripserunt. Adde ex aliis Ordinibus Religiosis simul sumptis Auctores omnino sexaginta. Et ex cæteris orbis Christiani Doctoribus clarissimis, viginti duos. Quod si velimus omnium simul Auctorum etiam Societatis numerum inire, pro nostra sententia centum quinquaginta novem adducit *Sarasa* in part. 2. nec pauciores pro ea recenset *Terilus* in quest. 22. qui ut fidus, & oculatus sit testis, illos à se lectos affirmat, auctor eximie doctus, & religiosus, & pro illustranda re litteraria longiori ævo dignissimus.

Mirum sanè paucos Recentiores, qui contra probabilitatis usum insurgunt, ex tot Scriptoris, unum sibi vel alterum tanquam probabilitatis Auctores exagitantos suscepisse, ac si in cæterorum omnium Scriptis peregrini fuissent.

Atvolvenda illis erant saltem Pontificum oracula, ne nimis incautè per auctoris privati latus supremæ Sedis auctoritas aliquid pateretur. Licitum esse amplectendi opinionem probabilem omiſſa tutiore saltem minus probabili, sentierunt illi Pontifices, qui in voto solemnè Castitatis de facto dispensarunt, scilicet, *Alexander III.* *Honorius II.* *Celestinus III.* *Clemens II.* &c. Quia tantum est probabilis opinio quod Pontifex habeat potestatem dispensandi in solemnè voto Castitatis. Hanc tamen sententiam sequi non dubitarunt, omiſſa tutiori quam docet D. Thomas, & plures alii, nimirum non posse Pontificem in solemnè Castitatis voto dispensare. Tutius sanè foret Pontificem, negando dispensationem, se non exponere periculo usurpandi potestatem sibi indebitam, & Religiosum non collocare in periculo deinceps peccandi contra votum castitatis; quod fiet, & quidem in materia quæ est contra legem naturæ, si forte probabilis opinio quam secuti sunt illi Pontifices à parte rei non subsistat.

Possim quoque hic adducere auctoritatem, & exemplum in luce Ecclesiæ notissimum, illorum Pontificum

M 2 tificum

tificum, qui non dubitarunt in matrimonio rato dispensare; quod tamen per Pontificem solvi non posse, opinionem esse probabilissimam, & eam Theologos communiter tenere, affirmat Sanchez lib. 2. de matrim. d. 14. n. 1. citatque pro ea Scotum, & Scotistas, pluresque alios, cum Domin. Soto, qui lib. 7. de Just. q. 2. a. 5. eam haberi certam, ut vix velit oppositam esse probabilem. Unde manifestum est primò: Opinionem quam in dispensando secuti sunt Pontifices tantum esse probabilem: secundò illam esse minus tutam, cum multò tutius foret non dispensare in matrimonio quod constat fuisse ratum & validum, & per omissionem dispensationis nullum erat periculum alicujus legis violandæ. Dispensationem verò in matrimonio rato concessisse reperitur Gregorius VII. Martinus V. Eugenius IV. Paulus III. Gregorius XIII. Pius IV. & Pius V. Idemque fecisse Adrianum VI. olim Lovanii Doctorem fatetur Sinnichius in Saul. Extr. c. 17. pag. 227. quamvis ipse Adrianus aliquando docuerit illam potestatem Pontifici non competere.

Neque dicas: Fortè hunc, & alios existimasse sententiam minus probabilem quam in praxi sequebantur, fuisse revera probabiliorum. Illud enim forte, non forte, sed valdè imbecillum est effugium. Solent enim Pontifices in istiusmodi gravis momenti Resolutionibus etiam præcipuæ notæ ac doctrinæ Theologos consulere. Quomodo ergo nisi temerè affirmabimus, neque hos, neque Pontificem ex illis sententiam magis, minusque probabilem cognovisse, & in hoc post maturam inquisitionem actu errasse?

Facile foret eandem sententiam probare ex jure Canonico Cap. *Laudabilem*. de frigidis & maleficiatis, ubi Cælestinus III. naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis, si frigiditas prius probari non poterat, concedit ut cohabitent ad triennium; atqui post copulam per biennium frustra attentatam, multò probabilius est *sub finem* triennii subesse impedimentum impotentia, adeoque matrimonium esse nullum; & multò tutius foret à thoro conjugali abstinere, & utrimque castè vivere, idque in materia juris naturæ, in qua Pontifex nequit dispensare. Et tamen in casu illo conjuges licitè se mutuo tangunt, & copulam tentant, idque à Pontifice positivè permittitur: non aliam certè ob causam, quàm quia usque ad finem triennii manet probabilitas potentia ad copulam, quamvis illa sit multo minor quàm probabilitas impotentia, appetente sine triennialis experimenti.

Declaratio hujus Doctrinæ ex sacris *Litteris*, & sanctis *Patribus* maximè hic proluxa foret. Ut tamen utrumque brevissimè conficiam, aliqua Scripturæ loca juxta antiquorum Patrum & Doctorum expositionem hic adjicio.

Proverbior. 3. 5. Ne innitaris prudentia tua. Locus hic ex S. Hieronymo sic habet. Ne innitaris prudentia tua. Prudentia tua, inquit, innititur, qui ea quæ sibi agenda vel dicenda videntur Patrum decretis præponit. Eodem modo interpretatur S. Dorotheus ferm. 5. Item S. Antoninus 1. Part. Tit. 3. Cap. 10. §. 10. Qui & addit locum Ecclesiastici, *Noli esse nimis iustus, qui perit in iustitia sua*. Quomodo verò, hoc sensu prudentia tua non innititur, &c. si quis hoc ævo repugnat communi Doctorum consensui asserentium licitum esse sequi opinionem directè minus pro-

babilem minusque tutam, juxta modum quem ex illis supra ostendimus.

Rursum illud Christi Matth. 25. *Alligant onera gravia & imposita, & imponunt ea humeris hominum &c.* In quem locum Hugo de S. Richardo sic oppositè pronuntiat. Si erramus, nonne melius est propter misericordiam dare rationem, quam propter crudelitatem deficere penitentem.

Adde si placet ex *Genes. cap. 10.* Quomodo Abimelech non peccavit formaliter uti patet ex contextu adducendo Saram uxorem Abraham &c.

Et 4. *Reg. cap. 5.* Eliseus rogatus à Naaman, ut curvante se Rege in templo Remmon, liceret & filium regem sustentanti se incurvare &c.

Denique *Lib. Judith à cap. 8.* illa quæ egit Judith circa Holofernem, in quibus juxta Scripturas non peccavit.

Proluxum foret hic plura alia Scripturæ & Patrum loca recensere. Frivolum autem foret, porro repetere, ut hi disertè profireantur, se non nisi ex sententia minus probabili & incerta processisse; cum è contra ad ipsam operationem non nisi ex conclusione prædictæ certè processerint, agendo secundum nostram præcipua superius explicata, pag. 84.

§. II.

Elucidatur ex dictis ulterius, Quo modo aliquis possit prudenter, adeoque licite operari aliquando, ex sententia minus probabili, minusque in speciem tuta.

Demonstratur viâ maximè clarâ, & facili; ex prudentia & honestate talis operationis tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis. Qui ut voluntas prudenter intellectui imperet assensum intuitu assequenda *veritatis*, quod est proprium bonum intellectus, non requiritur major cura & persectio, quàm ab eadem voluntate exigitur in ordine ad proprium objectum, quod est *bonum*. Atqui ut in electione proprii objecti voluntas prudenter agat, necesse non est semper ut eligat bonum quod cognoscit esse præstantius, sed sufficit ut eligat illud quod verè bonum est. Ergo ut voluntas prudenter determinet intellectum ad assensum, non tenetur illum ad partem probabiliorem alligare, sed sufficit si ad partem minus probabilem suo imperio illum determinet. Sic enim magis promovet bonum intellectus, quàm si illum ab omni judicio suspendat: & cum magna spe obtinendæ veritatis sic procedit, cum supponatur pars illa, etsi minus probabilis, effectum verè & certò probabilis, hoc est, illis motivis innixa, quæ per se virum prudentem ad assensum mentis movere possint. Nam etsi eligeret partem quæ apparet magis probabilis, non nisi etiam cum aliqua formidine illi assensum præbere possit, cum hæc sit vis assensui probabili intrinseca.

Et verò quis est qui illos peccati aut imprudentia arguat, qui etiam cum juramento ritè se determinat ad amplectendum vel tradendum doctrinam sui Magistri, ut doctoris Angelici, etsi forte quando ipsi in suis Magistris appareant aliqua sententiæ oppositè minus probabiles, quia hoc magis conducit ad Doctoris alicujus præstantissimi doctrinam, & Scholam promovendam.

Declaratur ulterius hæc doctrina in ordine ad quæstiones morales. Quæstio sit, an licitum sit pingere in die festo. Probabilis est id non licere, minus probabile id licere. In hoc casu voluntas spectato suo fine, sive bono sibi proprio prudenter determinat intellectum ad probabilem assensum, quod liceat pingere in die festo. Quia sic ex una parte plurimum promovet suum bonum, & libertatem in pingendo si velit, & ex opposita parte nihil patitur detrimenti; quia adhuc retinet suam libertatem etiam ad non pingendum, tamquam ad opus Consilii sub peccato non obligantis. Quod autem per hoc plurimum promoveat bonum suum patet, quia sic auferat se obligationem abstinendi ab illo opere: atque ita removet periculum peccandi, cui aliàs subiaceret: & cui se ultro exponeret, si intellectum ad oppositum assensum determinaret, quæ etiam omnino ad prudentiam pertinent.

Quod si insuper reflectat, quàm incerta sit major rei probabilitas in ordine ad determinatam objecti veritatem: & quàm difficile sit motiva omnia tam extrinseca, quàm intrinseca utriusque partis aqua lance sic ponderare, ut major probabilitas certò attingatur: item, quàm sæpe contingat id postea verius deprehendi, quod minus probabile apparebat, facile profectò judicabit se non imprudenter agere, si opinionem, etsi minus, verè tamen probabili se conformet. Certum autem est, Deum neminem violatæ legis reum habere, qui prudenter judicat illam hic & nunc suæ actioni non adversari, quod per opinionem etiam minus probabilem aliquando justa ex causa fieri posse hæcenus demonstratum est.

Quidquid huic demonstrationi *objicietur*, non potest aliud concludere, quàm quod *perfectius* aget voluntas imperando assensum, & usum partis probabilioris, quod tamen semper verum non esse ex dictis, & infra dicendis facile colligitur. Sed ut omnino verum id esset, quomodo sic inferes: Istud est *perfectius*, ergo nunquam licebit voluntati imperare aut sequi sententiam minus probabilem, quia hoc est minus perfectum. Manifestum autem est nullum dari præceptum semper amplectendi perfectiora aut tutiora, aliàs opera quæ sunt Consilii sic in Præcepta vesterentur.

Porrò, Radicem præcipuam, ex qua pullulant aliæ impugnationes hujus sententiæ, conemur breviter & clarè detegere, hoc modo. Dicunt: *Prudentis est eligere tutius*. Hoc sanè non rectè: sed sic: Prudentis est eligere tutum, & Prudentioris vel Prudentissimi est, eligere tutius vel tutissimum. Ad omnem autem Prudentiam non datur præceptum: sed simpliciter ad operationem Prudentem, & hæc sola hic exigì potest: Nonne hoc manifestum? Nunc quero ulterius: Quare electio opinionis minus probabilis in concussu probabilioris non possit esse tuta? Quia, inquis, *Opinio probabilior est tutior*, ergo probabilis non est tuta: Obedientia est melior quam victima, ergo victima non est bona. Nonne defectus hujus sequelæ facile percipitur?

Progredior porrò, & inquirò: An opinio probabilior sit *absolutè* tutior minus probabili, uti supponis? Manifestum est non esse: sed tantum in hoc unico tutior apparet, quod magis videatur attingere veritatem objecti, etsi fortè in re eam nullo modo attingat. Aliunde verò electio opinionis minus probabilis est

certò tutior: nempe ex eo, quod eligendo minus probabilem, in exigenda obligatione præcepti, vitentur pericula plurima formalis peccati, quæ passim fierent ex persuasione obligationis sub peccato circa innumera præcepta, forte etiam in re non obligantia. An ergo tutius non est vitare frequens periculum formalis peccati, quo Deus certò offenditur, quàm periculum aliquod materialis peccati, quo Deus certò non offenditur, & cujus periculum non tenentur homines quovis modo vitare, ut eligendo statum religiosum, vel abdicando officia, & beneficia, quod per se notuum est: Et ob has considerationes in titulo addidi, *in speciem* minus tuta. Ex quibus satis patet, nihil obstare quo minus electio illa prudens & tuta censeatur, præsertim cum non sistatur in hoc iudicio *directo* de probabilitate objecti, sed in conclusione *practica* & certa de honestate actionis, quæ jam magis explicabitur.

Itaque ex his ita stabilitis de prudenti assensu partis minus probabilis circa honestatem objecti, nunc ulterius facile ostenditur quomodo inde perveniatur ad *certitudinem practicam* de honestate nostræ actionis, & de ea conscientia omnino certa formetur. Nicitur enim hoc evidenti syllogismo. Certum est hanc opinionem minus probabilem, v. gr. quod liceat pingere die festo, esse verè probabilem, adeoque verè prudentem. Supponitur enim niti motivis ad fundandum assensum sufficientibus, nam aliàs probabilis non esset. Atqui prudenter agendo certò non possum peccare. Ergo certum est licitum mihi esse, pingere in die festo. Ultraque præmissa est clara, ergo certa est consequentia in debita forma ex illis deducta. Atque hoc est ultimum dictamen certificans intellectum de honestate suæ electionis & operationis terminatæ ad partem speculativè quidem minus probabilem, sed quoad honestatem operationis practicè certam. Nec alia certitudo directæ ad operandum, in rebus utrimque probabilibus, ulla ex parte inveniri poterit.

Ex his quæ deduxi existimo meritò posse observari: Inter hæc doctrinam, & illam quam tradunt alii qui eam studiose oppugnant, valde modicum, & forte nullum in re fore discrimen, si velint ad eam animo sat pacato attendere: 1. Docent illi ad formandam in praxi conscientiam, iudicium certum esse necessarium: idem admittit hæc sententia, quæ requirit iudicium ultimum certum de honestate actionis, uti jam in priori syllogismo ostendi. 2. Admittere etiam debent illi, opinionem minus probabilem fundare posse iudicium prudens de objecti veritate, non obstante formidine quæ opinioni inest de opposito: nam hanc ipsam formidinem involvit definitio omnis opinionis verè probabilis, etsi motivis ad prudentem assensum sufficientibus niti debeat. Quod si in formando de objecti veritate prudenti iudicio illa formido obesset, nulla opinio, etiam probabilior, imo nec moralis certitudo sufficeret, quia hæc etiam aliquam formidinem & fallibilitatem admittit. 3. Necessarium est etiam illos distinguere inter iudicium de veritate objecti, & iudicium de honestate actionis: ad illud formandum illi, qui Probabilistæ vocantur, dicunt probabilitatem minorem posse sufficere, non verò ad iudicium practicum de honestate nostræ actionis. Certum autem & aliis esse debet, quod iudicium prudens & certum de honestate actionis possit consistere cum objecti directi falsitate à parte rei: aliàs nec moralis quidem certitudo ad honestam & prudentem actionem sufficeret. Nam falsitas objecti-

scilicet
Kin

theo-
logia

objectiva stare potest cum morali etiam iudicii certitudine, cum hæc quoque admittat aliquem gradum fallibilitatis.

Ex quibus patet, inter utramque partem in re ipsa, & in praxi agendi, non subesse quantum prætendunt discordiam, sed potius in modo loquendi: atque in actionibus particularibus plerisque probabilitatis defensores nihil sibi licitum censere, quod alii non æquè in praxim reducunt.

Has igitur concordie mutue leges statuamus. Primo, ut dicatur utrimque, ad licite operandum requiri dictamen conscientie moraliter certum; in quo de facto Partes consentiunt. 2. Ut in operando, pro morali certitudine, non accipiatur major probabilitas, quod aliqui faciunt, qui volunt sic persuadere se non nisi certa complecti. 3. Ut minor probabilitas in concursu majoris, agnoscat esse vera probabilitas distincta à dubio, quod juxta prædicta, sic manifestè declaro. Si enim major probabilitas semper tolleretur minore probabilitate sibi oppositam, sequeretur etiam minorem probabilitatem sæpe tollere majorem probabilitatem oppositam, quod neutra pars admittet. Statuamus enim majorem probabilitatem involvere sex gradus apparentie de veritate objecti, & oppositam minorem probabilitatem. Quatuor gradus apparentie veritatis ejusdem objecti. Si major probabilitas debeat tollere illos quatuor gradus tamquam sibi oppositos, ergo etiam minor probabilitas, quæ constat quatuor gradibus, debet elidere quatuor gradus majoris probabilitatis sibi oppositæ, quæ sex gradibus constat; ergo tantum relinquit duos gradus, qui soli non sufficiunt ad constituendum iudicium probabile de objecti veritate. Ergo si nullo modo admittendum sit, quod minor probabilitas tollat oppositam majorem, pari ratione admitti non potest quod major probabilitas semper elidat minorem, & in intellectu ex ea parte tantum dubium relinquat. Quomodo verò quodvis iudicium, etiam minus probabile, à dubio distingui debeat, dilucidè ostenditur supra in *Tract. I. in Princip. 16.*

Denique pro veritate & usu hujus doctrine sufficere adducere breviter communem praxim Ecclesie, quæ clarè patet primò, ex jure Canonico in cap. *Laudabilem* de frigidis & maleficiis: Ubi conjugibus naturaliter frigidis, si id prius probari non poterat, conceditur experimentum triennale, in quo post copulam per biennium frustra attentatam, multò probabilius est subesse impedimentum impotentie, adeoque matrimonium nullum esse, ac tutius à copula tentanda abstinere: de quo in §. precedenti.

II. Idem manifestum est in eo, quod illicitum non sit se determinare ad formandum iudicium internum de Conceptione non-immaculata Virginis Deiparæ, quamvis illa opinio jam apertè minus probabilis censetur.

III. Omni ævo Sancti Patres, & Ecclesie Prælati docuerunt & inculcarunt, quod Religiosus, ut perfectus sit, debeat Prælato obedire in omnibus quæ manifestè non repugnant legi divinæ, aut Ecclesie determinationi. Ac proinde si Superior ordinet rem probabilitè licitam subditus debet obedire, etsi oppositum ipsi appareat in se probabilius & tutius; quod etiam extendunt ad Ordinationes sub præcepto non obligantes. Certum autem est, præceptum vel ordinationem Superioris non reddere licita, quæ ex se es-

sent illicita. Ac proinde alios etiam in agendo posse prudenter formare Conscientiam practicè certam circa ea quæ apparent directè minus probabilia, minusque tuta.

IV. Idem ostenditur in Pontificibus Romanis quæ ut diximus in §. superiori, in praxi sæpe sententiæ sunt minus probabilem minusque tutam, dum dispensant in voto solenni castitatis, quod minus probabiliter licere, cum Divo *Thoma* docent passim Thomistæ, & alii non pauci agnoscunt. Neque per hoc illi Pontifices opinionem minus probabilem reddiderunt certam aut probabiliorem. Nam S. *Thomas* qui postea vixit, & eorum gesta non ignoravit contrariam docuit, & alii posteriores. 1. Pontifices plurimi, ut Pius V. Gregorius XIII. alique varii dispensant sæpius in matrimonio rato, quod fieri non posse *S. Bonaventura*, *Scotus*, & *Scotistæ* communiter cum pluribus docent, & non pauci probabiliter admittunt, & haud dubie tutius opposito: De quo plura supra in §. 1.

V. Eadem doctrina declaratur recepta in materia Justitiæ, in qua etsi opinio sit minus probabilis, quod res ad me pertineat, non ideo teneor illam alteri tradere pro quo stat opinio magis probabilis. Quia, inquiunt, non deo præstare solutionem certam pro debito incerto. Quod non minus locum habere videretur, quando obligatio legis est incerta, & pro ea solutio sive executio certa exigitur, dummodo conscientia practicè certa formetur, juxta normam supra assignatam.

Sed in prædictis semper observandum: Usam opinionis minus probabilis locum non habere, ubi agitur, non tantum de honestate actionis, sed insuper de valore operis, ut in administratione Sacramentorum extra necessitatem, vel ubi intercedit certa alterius injuria, aut lex, aut conventio procedendi ex certioribus, ut in Judice, ac justa causa, & aliis, quæ magis declarantur intra in solutione objectionum præsertim in §. 4.

Ex his patet, tam ratione, quam praxi in omni genere hominum prudentissimorum, sententiam hanc, quam vocant benigniorem, semper locum & usum habuisse: & cum illa consistere viam prudenter formandi conscientiam in operando practicè certam & securam.

Via veritatis objectivæ unica est, & in tramite indivisibili consistens, quam certò attingere paucis datum. Nonne igitur æque laxitatis arguendus, tam qui ad sinistram per nimium sentiendi rigorem, quam qui ad dexteram per nimiam benignitatem ab hoc indivisibili tramite declinat? Nonne æquè injustum, legere ad indebita, quam à debitis absolvere? Ut ergo licet non simus, utrumque caveamus.

§. III.

Dissolvuntur aliquorum Theologorum argumenta.

Objicies primò: Qui sequitur opinionem minus probabilem, minusque tutam, incurrit magis periculum peccandi, quam si amplecteretur opinionem probabiliorem, ac tutiorem. Hoc verò existimari debet illicitum, ut quis sciens, volensque se violantæ legis periculo exponat.

Respon-

Respondeo, negando antecedens, & id quod gratias supponit. Nego inquam, illum qui opinioni si-ve magis, si-ve minus probabili adhaeret, juxta prædicta, ullum peccandi periculum adire: Frustra igitur de majori periculo disputatur, ubi nullum incurritur. Certus enim est se prudenter, adeoque licite agere, quando procedit ex opinione quam constat esse verè probabilem, si-ve niti ratione vel auctoritate non levis momenti: qui autem prudenter agit non potest formaliter peccare, etiam si contingeret ob-jectum circa quod versatur, esse materialiter malum, si-ve aliqua lege prohibuit. Nullum igitur hic incurritur periculum peccati formalis, omne autem peccatum peccati materialis semper evitare nulla lege jubemur, uti etiam ex resolutione, & dispensatione summorum Pontificum supra demonstravi.

Instat tamen iterum Wendrochius hoc Syllogismo, ut ipse arbitrat, gravissimo; sed nullius ponderis, si rectè libretur. Ille, inquit, contra conscientiam agit, qui id facit quod conscientia judicat non esse faciendum. At cum aliquis probabilis esse censet, aliquid esse illicitum quam licitum, utique etiam probabilis esse judicat fugiendum id esse, quam faciendum. Ergo qui sic affectus operatur, procedit ille contra lumen ac judicium suæ conscientie.

Respondeo, admittens majori, falsam esse minorem quæ subsumitur, nec minus fallacem esse consequentiam quæ inde deducitur. Falsum, inquam est, quod probabilis censetur id sibi fugiendum esse, quam faciendum: imo certò statuit actionem suam, hic & nunc licite exercendam, dum probabili ratione, adeoque prudenter judicat legem non obstringere, nec eam sibi fati innoscere. Itaque imperitè supponit Wendrochius hæc duo semper esse connexa: obiectum quocumque modo judicari malum, si-ve lege prohibuit, & actionem quæ tendit in obiectum semper judicari illicitam: cum tamen sæpe contingat legis prohibitionem tam imperfecto judicio innoscere, ut prudenter concludere possim me illà non obligari.

Objicit idem tertio, argumentum desumptum ex sequela in materia fidei periculosa. Si licet alicui, contra propriam opinionem quam judicat probabilem, sequi alienam sententiam æquè aut minus probabilem, eique tutò acquiescere: ergo etiam Hæreticus, qui eo devenit ut veritatem Ecclesiæ Romanæ judicet esse probabilem, poterit nihilominus suæ hæresis adhærere, & immori; quam nempe ob auctoritatem suorum Ministrorum æquè, aut etiam minus probabilem esse decernit.

Respondeo, negando consequentiam. Quia Hæreticus ille non potest bonâ fide sistere in ista opinione probabili, quia potest, ulterius investigando notas veræ Ecclesiæ, veritatem fidei certò deprehendere: adeoque imprudenter acquiescit opinioni tantum probabili illius rei, in qua potest certitudinem attingere, dummodo in veritate investiganda moralem diligentiam adhibeat. Insuper, in materia fidei peculiare est, quod ipse error materialis, annexa habeat incommoda maxima, in carentia Sacramentorum, aliorumque mediolorum ad salutem conducendum. In aliis autem actionibus merè ad humanos mores & commercium pertinentibus, cum non detur via ad certam rei veritatem perveniendi quocumque

studio inquiratur, prudenter acquiescit animus veritati probabiliter inventæ, cum non possit morali diligentia veritatem certam & indubitam attingere.

Fateor autem in quavis materia, si cum morali & moderata diligentia promptum sit ad certam rei veritatem penetrare, licitum non esse sistere in opinione tantum probabili: atque ita consequenter assero, in die jejuni fas illi non esse vesci carnibus qui ex diverso pulsu campanarum probabile judicat nondum adesse horam noctis duodecimam, si ex instrumento mathematico quod in promptu habet, certò possit horam noctis explorare. Nihil igitur ex hac sententia incommodi redundat, in quo vel ipse Wendrochius, vel ejus affectæ aliquam laxitatis, aut mala fidei speciem redarguant.

Objicies quarto, cum *Sinnichio*, dictum Christi, *Ego sum veritas*, non autem dixit, *ego sum probabilitas*. Ergo non licet sequi opinionem merè probabilem.

Respondeo in simili forma: Dixit Christus, *Ego sum ostium*, non verò, *ego sum fenestra*. Ergo necesse est semper intrare per ostium, numquam per fenestram. Dico igitur, hanc objectionem posse in ipsum auctorem retorqueri. Si enim ex eo quod Christus dixerit, *Ego sum veritas*, illicitum sit amplecti opinionem probabilem, netas etiam erit sequi sententiam probabiliorum, aut moraliter certam; sæpe enim contingit illis non subesse veritatem, cum judicium quod nobis apparet moraliter certum, possit falli, & omni veritate destitui.

Instat tamen ex auctoritate *S. Augustini* lib. de util. credendi *cap. 11.* Quod intelligimus debemus rationi, quod credimus auctoritati, quod opinamur errori. Ergo opinio ad nihilum valet nisi ut à veritate aberremus. Quia, inquit *Sinnichius*, opinantem latet veritas etiam dum adest, adeoque sic agit ac si veritas semper abesset.

Respondeo, *S. Augustinum* loqui de opinione longè diversa à judicio probabili, de quo hoc loco disceptamus, uti patet ejus verba attentius expendenti eodem *cap. 11.* Tria, inquit, alia hominum genera profectò improbanda ac detestanda, primum, est opinantium, id est, eorum qui se arbitrantur, scire quod nesciunt. Ubi disertè ostendit se agere de opinione quæ adjunctam habet estimationem falsam, eorum scilicet qui putant suam opinionem esse perfectam scientiam, quod semper est erroneum: opinioni autem de qua hic agimus, nemo nisi fatuus ejusmodi persuasionem adjungit, cum agnoscat omnes opinionem esse assensum incertum, & à scientia omnino diversum. Neque verum est quod adjungitur, *opinantem sic agere ac si veritas semper abesset*. Quia et si ille judicet se opinando posse falli, non existimat tamen suæ opinioni falsitatem actu subesse, imò probabile judicat suam opinionem veritati conformem esse, sequè cum probabili veritatis notitia prudenter procedere. Quæ ergo veri specie dici potest, illum qui opinatur, falsitatem implicite semper amplecti, atque ita agere ac si veritas omnino abesset?

Objicies quinto, cum *Mercoro*. Si licitum foret sequi sententiam merè probabilem, Adam & Eva manducando pomum vetitum immunes fuissent à violatione præcepti divini: quia poterant pro se obtinere sententiam probabilem, quæ docet legem penalem non obligare in conscientia, cum *Navarro*, *Lessio*, *Valentia*, aliisque: præceptum autem primis paren-

sole
kin

theo-
logia

parentibus impositum, prolatum est in forma legis pœnalis: *In quacumque die manducaveritis mortuum.* Ergo excusandi sunt primi parentes à peccato formali, & posteri ab originali, si norunt sibi formare conscientiam artificio sententiæ probabilis.

Respondeo, negando illud Assumptum, quod pluresciculum præfert falsis, quam scientiæ. Siquidem ignorat Adamum & Evam nullam habuisse opinionem sive probabilem, sive improbabilem in primo illo statu innocentia, ut disertè docet *D. Thomas Q. 18. de veritate art. 6.* ubi sic concludit: *Ex quo patet quod solum in eo (primo homine) nulla falsa opinio fuisse, sed penitus nulla opinio in eo fuisse, & quid, quid cognovisset secundum certitudinem cognovisset, in statu scilicet illo innocentia perseverans.* Quinimo tam clare constabat illis de voluntate divina, ut persuasio illa, quæ pertrahente de fructu vitæ comederunt, censetur etiam formalis infidelitas, ex plurium Patrum sensu, ut tradit *Bellarminus* in Tomo 4. de amiss. gratiæ & statu peccati Cap. 6. Corruit igitur tota basis hujus Machinæ contra usum probabilitatis jam inde ab Adam, frustra quæsitæ.

§. IV.

Objectiones particulares contra usum sententiæ probabilis in concursu sententiæ æquæ aut magis probabilis.

Nonnulli modò sunt, etiam ex illis qui docent licitum esse usum prædictum sententiæ probabilis, qui tamen negant illum subsistere in concursu sententiæ oppositæ æquæ, aut magis probabilis. Nos autem, principiis jam positis insistenti, omnino existimamus & hic demonstramus, Doctrinam illam sic generaliter sumptam, veram non esse, ac solidis fundamentis destitui, uti patere poterit ex dissolutione & explicatione principalis fundamenti istius sententiæ.

Opponunt igitur *Primo*: Major probabilitas, uti & probabilitas utrimque æqualis, elidit oppositam probabilitatem minorem, aut etiam æqualem. Ergo non licet in operando sequi sententiæ minus aut æqualiter probabilem in concursu sententiæ magis, aut æquæ probabilis.

Respondeo negando assumptum, prout patet ex dictis §. præcedenti. Porro pro majori elucidatione dico, Raro admodum hunc casum in praxi locum habere: quia valdè rarus est & singulariter doctus, qui ex principiis intrinsicis potest sufficienter discernere, quatenam ex duabus sententiis probabilibus sit probabilior, sive, an rationes sint verè tales quæ elidant probabilitatem sententiæ oppositæ: Quod à fortiori dicendum de sententiâ utrimque æquæ probabilis. Videmus enim experientiâ assiduâ inter doctiores, id quod uni probabilius apparet, alteri minus probabile videri. Unde patet quam esset ipsis etiam doctis onus intolerabile, sententiâ magis probabilem investigare, & certò invenire, antequam possint licitè operari. Cum igitur hoc sit tam incertum, difficile non est iudicium de majori probabilitate suspendere, & uni parti verè probabilis prudentè accommodare, delinente actu *Comparativo*, ut infra pag. hæc.

Sed ponamus virum doctum rationibus utrimque

studiosè ponderatis, unam partem iudicare probabiliorem, sic ut oppositam probabilitatem elidat. Vel id iudicat evidenter, vel tantum probabiliter. Si evidenter, sic ut oppositam probabilitatem totam manifestè elidat, & tollat, jam ea pars est illi moraliter certa, eamque sine dubio præferre debet.

Si autem iudicat esse probabiliorem, & oppositam probabilitatem elidere, iudicio tantum probabile, adeoque incerto, potest prudenter iudicium illud suspendere, & iudicare se fortè errare, uti etiam inter doctos sæpe contingit; atque ita iudicium resexum formare, se prudenter acturum etiam si alteram partem quæ passim probabilis habetur, in operando sequatur. Et hoc locum habet etiam quando opinio apparet extrinsecè probabilior, quia adhuc non constat quod illa quæ majori fultur auctoritate melioribus rationibus stabilietur, cum alii has, alii illas præferant.

Rationes autem suspendendi iudicium de majori alterius partis probabilitate, & sequendi aliam minus probabilem, possunt esse sequentes.

Primo, quia neque constat, neque credibile est, esse præceptum generale investigandi & sequendi partem probabiliorem, propter difficultates multas quæ inde sequerentur in commercio humano. Quando enim postea occurreret nova ratio contra sententiâ quæ antea videbatur probabilior, oportet rescindere contractum ex sententiâ probabiliori initum: revocare consilium ex illa datum: restituere restitutionem ob maiorem probabilitatem piden factam, aut non factam &c. uti notavi supra Tract. I. Princ. 14. Imo ferè hæc præstanda essent quoties prodit novus Auctor qui ostendit partem illam non esse probabiliorem: aut quando peritus Iudex in partem causâ fert sententiâ contra opinionem quæ tibi in agendo aut consulendo via est probabilior. Certum denique est, nullum dari præceptum generale sequendi semper tutiora, ut in consiliis Evangelicis, & aliis innumeris ostendi potest.

Secundo, si pro sententiâ probabiliori daretur talis obligatio, sæpe tolleretur in Republ. omnis subordinatio, ac recta gubernatio. Dum enim Superior imperabit aliquid probabiliter licitum, & oppositum subdito videbitur esse probabilius, & rationes oppositas elidere, non licebit illi de majori probabilitate suum iudicium suspendere, aut suo Superiori obtemperare conformando se illius sententiæ minus probabili, si illicitum sit in concursu probabilioris, qui sententiâ minus probabilem. Quod quam perniciosum foret, & omnis disciplina laxativum nomen non videt: uti etiam insinuatum est supra.

Tertiò, si per maiorem probabilitatem semper datur minor, sic ut non liceat dicto modo præferre, & minus probabilem amplecti: Inde sequetur, non licere etiam sequi sententiâ magis probabilem: Probatur sequela, ex dictis §. Superiori post medium.

Ubi notandum, illos Auctores huic doctrinæ non adversari, qui nolunt licere sequi minus probabilem ut tale, sive in eo sistendo: sed statuunt, suam eamque opinionem esse probabiliorem, aut verè probabilem non esse. Sic enim, ajunt, accedente in super proprio iudicio aliunde de objecti istius probabilitate, potest aliquando opinio quæ aliàs videtur minus, vel æquæ probabilis intrinsecè, reddi probabilior respectu talis personæ: Unde consideranti patet illos qui

sic procedunt potius in aliqua speculatione aut modo, quam in re & praxi discedere à doctrina supra explicata, & utrumque procedendi modum, si ita fiat, optime consistere, & ad resolutionem practicæ certam deducere.

In talibus: Quando pro utraque parte apparent motiva æqualia, pro neutra parte sunt motiva sufficienter gravia ut eliciatur assensus directè probabilis. Ergo non potest intellectus uni parti prudenter adhaerere.

Resp. dist. antecedens. In tali casu non sunt motiva sufficienter gravia pro una parte, *stante in intellectu isto actu formaliter Comparativo istorum motivorum, transeat: desinente isto actu formaliter Comparativo, & intellectu considerante motiva unius partis Dissparata, cum rationibus extrinsecis in ordine ad formandum iudicium ultimò practicum, nego: juxta modum, & rationes ad superiorem objectionem explicatas. Fateor etiam, excessum majoris probabilitatis posse in tantum excrescere, ut minor probabilitas opposita tandem evanescat: sed de isto casu hic non agimus, uti supra sæpius monuimus.*

Opponunt secundò: Prohibita est ab Innocentio XI. propositio hæc 3. *Generatim dum probabilitate, si sit intrinsecà, sive extrinsecà quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeat, consi si aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Ergo non licet sequi sententiam probabilem relicta probabiliori.

Respondeo, negando consequentiam: quæ sic concludit: Non licet sequi probabilitatem quantumvis tenuem: Ergo non licet sequi ullam probabilitatem quantumvis non tenuem, relicta probabiliori. Vide quæso, an consequens illud in antecedente contineatur. Certè non magis quam hic: Pater præcepit filio (ob periculum lapsus) ne ambulet in extrema crepidine ripæ fluminis: ergo præcepit filio ne usquam ambulet in ripa fluminis.

Dico igitur, nusquam nos docere (ut ex ante dictis liquet) quod generatim liceat sequi sententiam probabilem: varios etenim excipimus casus, v. g. quo agitur de valore Sacramenti extra necessitatem, vel quo certa injuria, periculum proximi, lex, aut conventio in contrarium adest. Et ratio est, quia in similibus quamvis opinio quædam sit speculativè probabilis, non tamen est practicè talis.

Adde, dici non posse juxta communioem & à nobis assignatam notionem probabilitatis, dari aliquam opinionem quantumvis tenuem, id est, tenui prorsus fundamento subnixam, & tamen à probabilitatis finibus non exire.

Quinimò hæc doctrina ex superiori objectione videri potest potius novum robur assumere. Quia declarando licitum non esse operari ex probabilitate quantumvis tenui, satis insinuat, probabilitatem certam, & minime tenuem nullo modo improbandam esse: ad hoc enim limitatio illa deservit. Quin etiam cautum fuit, ne actio ex illa ipsa tenui probabilitate censeretur reprobanda, nisi addendo, quantumvis tenui, & nisi dicatur, generatim, ac etiam semper cum ea prudenter agi. Vide an exceptiones illæ non potius firmant regulam doctrinæ quæ oppugnatur, & superius exposita est.

Opponunt tertio: Propositiones ab Alexandro VII. & Innocentio XI. prohibita, erant ante prohibitionem probabiles, quamvis opposita essent probabili-

R. P. Arsdæk. Tom. II.

res & tutiores; & tamen omnes & singulæ prohibentur tanquam scandalosæ & in praxi perniciosæ: ergo signum est, non licere sequi sententiam probabilem, relicta probabiliore & tutiore: quia alioqui ille propositiones non potuissent eatenus prohiberi.

Resp. primo, propositiones illas non fuisse certò & practicè probabiles: quia, ut consideranti patet, non nitebantur motivo gravi, ex quo vir prudens & circumspectus in rebus magni momenti concludere solet: & nos quoque in decursu hujus Tomi illud ipsum de quibusdam ostendimus. Imò variæ earundem propositionum, etiam ante prohibitionem, fuerunt omninò improbabiles: manifestè enim discrepant à Sacris litteris, Conciliorum, Pontificumque decretis, & Sanctorum Patrum ac Theologorum placitis. Præterea responsum hoc nostrum supponunt aperte dicti Pontifices, præcipuè Alexander VII. in præmio Decreti sui: neque enim ea, quæ objectio illa tantopere exaggerat, locum habent in propositionibus certò & practicè probabilibus.

Resp. secundò, dissimulatio antecedente negando sequelam: nam inde tantum sequitur, opiniones, quæ sunt probabiles, reddi posse omninò improbabiles, si ab Ecclesia vel Pontifice prohibeantur omninò doceri aut in praxim deduci; uti etiam supra insinuatum est. Imò sententia quædam efficitur absolutè improbabilis, si quis etiam privatus inveniat novam & solidam rationem, quæ manifestè elidat rationem oppositam. Ad probationem dico, opiniones quæ antea non sunt scandalosæ, reddi tales, dum incipit constare eas à Sacris Scripturis, aliisve de quibus in responso anteriori, alienas esse: prout constat præcipuè, dum Ecclesia aut Pontifex, prævio examine eas aliqua censurâ notat, & taliter notatas prohibet. Ex quo tamen univèrsaliter non rectè inferes propositionem illam antea non fuisse probabilem & tutam, imò & probabiliorem, imò & communem. Nonne fat notum est Philosophiæ peritis axioma Aristotelicum: *Falsa sæpè sunt probabiliora veris?* Nemo certè peritus supponit probabilitatem esse prædicatum objecto intrinsicè & inseparabile: norunt omnes illam se tenere ex parte nostri intellectus tali motivo instructi, uti in omni Dialectica docetur.

Neque ex responsione hac posteriori inferas, similem prohibitionem obesse salutem fidelium, quin potius prodesse: quilibet enim tenetur, pro reverentia legi divinæ debita, allaborare, ut assequatur rerum agenda veritatem, non tantum speculativam, sed etiam (si fieri possit) objectivam, imò Deus subinde etiam ob materialia peccata homines punit, id est, ad hoc affligit, ut ipsi, ac præsertim Principes & Prælati, ea non negligenter indagent, & extirpent: uti patet in Abimelech Gen. 20. &c.

Annotatio.

Hinc æquo Judici statuendum relinquo, quam parum recta sit hodie quorundam in Scholæ unius Auctores præ aliis accusatio. Si nempe horum aliquis sententias aliorum aliquas etiam meritò impugnaverit, v. g. Bajanas aut similes, hoc ipsum in displicentiam non modicam trahitur, uti ex præteritis nimis notum est. Si è contra, aliquam aliorum Auctorum sententiam, postea improbatam, cum multis agnoverit probabilem, statim illi uni, non aliis, sententia ista imputatur, & adscribitur, quamvis etiam multis

N multis

scle
kin

theo
logia

multis modis illam limitaverit, aut etiam contrariam tradiderit. Hoc, inquam, quam rectum & sincerum sit nihil statuo, sed equo lectori in rebus passim modernis utiliter considerandum committo.

Postremo congeruntur varia loca, partim ex jure Canonico, partim ex auctoritate Patrum & Doctorum deprompta, quæ contra usum sententiæ probabilis frustra intorquentur: eo quod non pertineant ad statum hujus controversiæ, in multis ab aliquibus non satis examinata, qui sæpè inter probabile, & dubium non discernunt, & consilium amplectendi tutiora cum præcepto confundunt. Hæc autem summo perè cavenda sunt in hac quaestione, qua nulla est per Theologiam univèrsam ad praxim magis necessària, ideoque hic paulò latius deducenda sunt.

§. V.

An & quomodo assertio unius Auctoris possit reddere sententiam probabilem, sic ut eam practice liceat amplecti?

Hæc quaestio magnâ contentione utrimque agitata, non adeò videretur peregrina, si illi qui tultinent partem negativam, satis attenderent quid alii asserunt. Certum est primò: Non satis esse ad probabilitatem opinionis, quod contineatur in libro alicujus junioris aut moderni Scriptoris, etsi non constet eam à Sede Apostolica rejectam esse ut improbabilem. Constat hoc ex propositione 17. ab Alexandro VII. damnata 24. Septemb. an. 1666.

Non sufficit etiam opinionem aliquam obiter aut ex incidenti traditam esse ab uno Auctore sive antiquo, sive recenti, præsertim si alii oppositam ex professo docuerint, præter alia superius annotata.

Dico tamen primò: Censeri debet opinio omnino probabilis quæ ab unico Auctore multum perito, ac probò traditur, in re quam nemo omnino præter illum tractavit, si ipse judicet eam non repugnare sensui communi, & aliis nihil in ea appareat quod absurdum judicetur.

Et probatur: Quia quod nititur motivo plerumque connexo cum veritate, illud merito & prudenter censetur probabile. Atqui Auctoris multum periti, ac probi assertio dicto casu est tale motivum. Quia vir probus raro mentitur, & pollens doctrinâ sapius veritatem attingit, rarius in errorem labitur: Ergò illius assertio in casu prudenter censetur esse certò probabilis. Cumque solus rem ex professo examinaverit, nulla est opposita auctoritas, quæ elidat vim hujus motivi, quod ab istius viri assertione & judicio defumitur. Et hæc ratio videtur non minus evidenter id quod assumpti probare, quam uni artifice prudenter credendum in arte quam ipse unus exercet, nisi constet ipsius resolutionem ex sinistro affectu procedere; quod de Auctore probò non præsumitur, nisi aliunde probetur.

Sed quid si Auctor ille in dicto casu tantum dicat Resolutionem quam tradit, sibi videri omnino probabilem, non verò absolute certam & evidentem?

Respondeo, hoc etiam casu eam ut probabilem prudenter recipi posse. Id enim evincit ratio jam tradita, de ipsius asseveratione cum veritate potius quam falsitate connexa: eoque magis quod facile sit de probabilitate judicium certum proficere; quod nempe assertio nitatur ratione vel auctoritate non levis momenti, quæ prudentem assensum mereatur.

Quæres, quid si Auctor ille, vel alii, tantum asserant, sibi probabile videri assertionem aliquam esse probabilem?

Respondeo, quaestione hanc, si termini perentur, nodum non habere adeò difficilem quam alii qui apprehendant. Quid enim est aliquid probabiliter videri probabile, quam omnibus expensis possè judicari adesse sufficientem rationem vel auctoritatem, ex quibus mereatur determinatum assensum? Hæc autem si adsint, objectum apparet reflexè saltem probabile, hoc est, mereri prudentem & determinatum assensum, & intellectum non debere circa illius probabilitatem dubium, aut suspensum hæcere.

Quod si contingat intellectum hæcere & sistere solo judicio de probabilitate probabilitatis partis minus tutæ, illicitum esse inde procedere ad operationem merito docet Card. Lugo de fide disp. 1. sect. 1. Honoratus Fabri in Dial. de Opin. probabili citans Bressanum de conscientia lib. 3. cap. 5. Merulam, Masfrum, Spallam, Medinam. l. 2. quest. 19. art. 6. Quibus accedit Baidellus lib. 4. disp. 10. n. 5. nec non P. Ant. Tenet in fundam. Theol. Mor. pag. 300. Non desunt tamen qui sententiam prædictis oppositam tradunt, & diserte consentirent plures, qui negant requiripiendum tamen ultimum moraliter certum, ut quis absque formali peccato opinioni probabili se conformet, quam sententiam tenet Vasquez l. 2. disp. 62. c. 9. Anton. Perez certam. 10. cap. 2. Vericelli Tom. 1. Quest. Mor. Tract. 2. q. 11. n. 2. Petrus de Tapia in Cæm moral. lib. 1. q. 8. art. 12. Neque D. Thomam aliter sentire de eo qui probabiliter & cum formidine iudicat, sed tantum de eo qui dubitat, censet Bark. Medina l. 2. q. 19. a. 6. §. si quis: Sed illa opinio nobis in praxi laxior apparet, qui non tenuem & incertam, sed solidam, & certam probabilitatem requirimus. His obiter notatis, ad quaestione in titulo propolitam.

Dico secundo, Potest unus Auctor sententiam aliquam reddere probabilem, contra communem aliorum opinionem, si rationibus in contrarium alios solidè respondeat, & pro sua parte novas adferat rationes, quæ tantum habeant momenti, ut apte sint movere virum peritum & probum absque passione ad eundem à communi, & novam unius opinionem recipiendum.

Probatum ratione satis evidenti: Quia in re non consentus Auctorum communis non est adeò certus, quin absolute falli possit: Supponimus enim rem non esse per se evidentem, aut à Deo revelatam. Ergo fieri potest ut aliquis sagaci ingenio rem investigando latentem errorem deprehendat, eumque refutet, & verà solidamque ratione oppositam veritate confirmet, ac in lucem proferat. Hoc si forte aliquis recipi præstiterit, nova illa unius Doctoris sententia contra communem, digna erit ut probabiliter ab intellectu bene disposito recipiatur. Et verò multa de factis sunt sententiæ in Theologia, Philosophia ac Mathematicis quæ olim communi consensu receptæ, postea errore per novum Auctorem sufficienter detecto, à Scholis evanuerunt. Quod etiam facile deprehendes locum habere in ipsis qui communem hactenus de probabilitate doctrinam rejiciunt. Non alia certè de causa, quam quia sibi persuadent se totum aliquem capisse detegere communem illam Casuistarum errorem, eumque solide

refutasse, & argumenta in lucem protulisse quibus opposita doctrina illi omnino præterri debeat.

De cætero, sufficere quandoque posse unius Doctōris auctoritatem ad constituendum opinionem quam in praxi sequi liceat, tradunt auctores plures, quorum plerique multo minori quam nos limitatione utuntur. Ex his viginti quatuor adducit *Vericelli* Tom. 1. Quæst. Moral. Tract. 2. singularium q. 5. inter quos est Angelus, Sylvester, Sanchez, Vasquez, Molfesius, Paqualigus, Rolandus, Villalobos, Clavis Regia &c. Accedit Thomas Hurtadus Resol. Moral. Tract. 4. cap. 8. n. 911. affirmans unum Doctōrem classicum sufficere quandoque ad constituendum opinionem probabilem, pro se adducens insuper Baldellum, Martinez, Bonacinam, Reginaldum, Curielem, Suarium, Paqualigum, à quo refert alios innumeros in eandem sententiam citati decif. 360. His addit idem Hurtadus in Append. ad Tract. 10. cap. 3. n. 33. Magistrum à S. Thoma, Pontium, Torrez, Malderum, Sylvium &c. Ex quibus saltem patet non esse peregrinum, incidere posse calum, quo politaliquis, re debet ponderatâ, se unius Auctōris opinioni conformare, quamvis id rarissimè contingat quando plures auctores utrimque concurrunt.

Ex dictis porrò colligitur, posse evenire ut, nec quinque, nec decem Auctores sufficiant, ut opinio aliqua sit practicè probabilis. Quando præterea plures & melioris notæ Auctores communi consensu, & absque passione, aut partium studio pronunciant, istam opinionem absolutè, & in praxi esse improbabilem. Aut quando deprehenditur talem opinionem alicui Pontificum Decreto omnino adversari. Sicut ex utroque capite nunc improbabilis est sententia docens, absolutionem Sacramentalem absenti collatam esse validam, quam ante declarationem Clementis VIII. Auctores multi, & graves docuerunt. Quia in his & similibus deficit tunc fundamentum prudentis assensus.

Hinc quoque manifestum est, probabilitatis defensores non metiri opinionis licitum usum, aut probabilitatem, ex solo Auctōrum numero. Multò minus passim docere. Illud omne esse practicè certum, quod est speculativè probabile, quod aliqui ipsis imperitè non affingerent, si Theologorum modernorum doctrinam communem satis intelligerent.

§. VI.

Qui & quales sint pauci recentiores Scriptores, qui communem de probabilitate doctrinam impugnant.

Magno impem in probabilitatis Auctores inter primos insurrexit *Montaltius* in suis Epistolis, quas vocat Provinciales; *Wendrochius* in Notis ad Epistolas Provinciales, quibus disputationem de probabilitate annexuit; ac *Paulus Irenæus* in suis Disquisitionibus. Sed quam parum felix fuerit horum trium conatus, eventus docuit. *Montaltii* Epistole Provinciales condemnatae sunt, ac legi aut retineri prohibita per Bullam Alexandri VII. datam 6. Septembris anni 1657. quæ etiam Lovanii publicata fuit. *Wendrochii* liber, cum opere dicti *Montaltii*, ac *Irenæi*, flammis publicè traditus est decreto Regis Gallia edito Parisiis 23. Septembris 1660. Decretum illud antecessit, contra hos trium viros, Censura plurium Episcoporum, Doctōrum, ac Professorum Facultatis Parisiensis 7. Septembris 1660. quæ declarat in eorum scriptis propugnati erro-

R. P. Arsdex. Tom. II.

res in Jansenio ab Ecclesia damnatos, eaque passim scateri maledicentiâ, quâ nulli hominum conditioni parcunt: Ac proinde decernit Opus illud esse dignum penâ libellis famosis à Jure constitutâ.

Scriptit quoque *Vincencius Baronius* librum; qui inscribitur Theologia moralis, adversus Probabilistas. Contra illos etiam stylum armavit *Thomas Hurtado* in suis Resolucionibus Moralibus. Sed quàm hi parum solidis nitantur principiis, vel inde satis prodiderunt, quod uterque in plurimas ex propositionibus ab Alexandro VII. damnatis impegit, ut aperte detexit *D. Nicolaus du Bois* in Tractatu pererudito quod dictas propositiones elucidavit, & suis quamque Auctōribus adscripsit. His accessit gallicè Theologia quædam moralis edita sub nomine *Curatorum Francia*, quæ adeo ab ipso Controversiæ statu aberrat, ut nec sibi, nec prædictis Auctōribus satis cohereat. Multa quoque contra probabilitatis usum suo Sauli Exregi inferuit *Eximius D. Sinnichius*, sed ista *D. Guilielmus le Maire* fusè eventilavit. Inter Jurisconsultos pridem, illustrissimus *Prosper Pagnanus* adversus probabilitatis usum calamum strinxit; Antonius quoque *Merenda* Jurisconsultus, in suo libro de Consilio, eandem doctrinam vehementer impugnat. Quamvis non videatur *Pagnanus* omni probabilitati absolutè adversari, dum num. 448. sic resolvit: Auctōritas unius gravis Doctōris reddit opinionem probabilem, & est fundamentum sufficiens eam tenendi, & ad praxim deducendi, si in contrarium nullus occurrat Doctōr, & utrimque sint rationes aequè probabiles.

Postremò, Benignam sententiam oppugnavit *Julius Mercorius* Mantuae Inquisitor in sua Basi. Theologiae Moralis, qui in hac Controversia discutienda sedulus & moderatus fuit, nec in praxi à sententia communi multum recedere videtur. Adeo ut apud *Wendrochium* illi objiciatur, totum ex illius assertis efficaciter stabiliri, quod in aliis reprehendit, ac proinde illum in *Appendice de probabilitate*, ex professo impugnat. Sed nec *Wendrochii* doctrinam ferre potuit ipse *Vincencius Baronius*, quam insectatur part. 2. a. p. 340.

His aequâ lance perpenfis, facile est judicare, hos paucos Scriptores, nec omnes sibi constantes, nec inter se in oppugnando probabilitatis usu coherentes fuisse: Nec videri quempiam eorum habere conditiones à nobis supra requisitas, ut unus Auctōr novus reddat opinionem suam probabilem contra communem aliorum sententiam.

Veniemus nunc ad particulares quaestiones, de quibus etiam in ordine ad praxim hoc tempore singulariter disputatur aut disputatum fuit, ut etiam de statu & ratione controversiæ utrimque constare possit.

CAPUT III.

CONTROVERSIÆ AC
Quaestiones maximè singulares, etiam modernæ, in vario genere materiae moralis.

SMMULA materiae Quaestionum hujus Cap. 3. Quæst. 1. 2. 3. Restrictio mentalis. Negatio criminis in iudicio. Carentia omnis attentionis in Foris Canonici. Quæst. 4. 5. 6. Desiderium mortis, aut morbi alieni. Navis incenso in pugna navali. Necessitas qualis subveniendi proximo. Quæst. 7. 8. 9. Simonia ex pacto gratitudinis. Exercens copulam conjugalem solâ causâ sedanda libidin-

N 2 nis

sole
kin

theo
logia